# DISSERTATIO

## POLITICO-MEDICA INAUGURALIS,

DE

CURA PUBLICA, IN CIVITATE GRONINGANA, INPRIMIS AD CIVES SANOS ET SALVOS SERVANDOS, TUM VETERIORI, TUM RECENTIORI AEVO, HABITA.

auctore

HENRICO NANNINGA.

# DISSERTATIO
POLITICO-MEDICA INAUGURALIS.

# DISSERTATIO

## POLITICO-MEDICA INAUGURALIS,

DE

CURA PUBLICA, IN CIVITATE GRONINGANA, IN-
PRIMIS AD CIVES SANOS ET SALVOS SERVAN-
DOS, TUM VETERIORI, TUM RECENTIORI
AEVO, HABITA,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

*RECTORIS MAGNIFICI*

**BARTHOLDI HENRICI LULOFS,**

*Jur. Utr. Doct., in Facult. Phil. ac Liter. Human. Prof. Ord.*

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

*Pro Gradu Doctoris,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GRONINGANA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO FACULTATIS EXAMINI SUBMITTIT


**HENRICUS NANNINGA,**

*Oldambtinus ex Pago Veendam.*


A. DIEM SATURNI XXII DEC. MDCCCXXXVIII. HORA XII.


GRONINGAE,

Apud Viduam M. VAN HEIJNINGEN BOSCH et FILIUM.

Homines ad Deos nullà se propius accedunt, quam salutem hominibus dando.

CICERO.

PATRI CARISSIMO

**A. W. NANNINGA,**
*Med. Doct. atque Obstetricatori.*

SACRUM.

# PRAEFATIO.

---

*Cum, Specimine Academico conscripto, legi satisfecerim et huic almae Musarum sedi valedicturus sim, superest solemne illud mihique optatissimum, ut laetum gratumque tester animum, quod non possum non, si respiciens curriculum Academicum praeterlapsum ipsamque Dissertationem, recolligam tot tantaque, quae mihi contigerunt beneficia et benevolentiae testimonia.*

*Primum itaque ad Vos, Viri Clarissimi! me converto, qui mihi in studiis Mathematicis et Physicis Praeceptores fuistis eximii; accipiatis gratias bene meritas pro institutione Vestra egregia, cujus nunquam immemor ero.*

*Omnino vero gravissimum existimo officium, ut Vobis, Viri Clarissimi! qui scientia et arte medica me imbuistis, pro Vestris praeceptis et consiliis, laude mea majoribus, gratias offeram sinceras.*

*Gratissimo inprimis sensu moveor, si recordor, quid Tibi, Vir Clarissime! S. E. Stra-*

—

*TINGH praeterea debeo, qui in hac Dissertatione perficienda tuam curam et operam mihi non denegavisti; accipias, quaeso, pro hoc favore insigni gratias quas habeo maximas.*

*Quae si commemorem, non silentio praeterire possum, laborem haud levem, quem Tu, Vir Doctissime G. ACKER STRATINGH! habuisti, sub auspiciis Patrui tui, Praeceptoris maxime venerandi, in Dissertationis argumento colligendo et ordinando; valdequam hoc amicitiae testimonio, nec non familiaritate, qua me coluisti et occasione, quam mihi praebuisti in aegrotis visitandis, me devinctum sentire non est quod moneam.*

*Publicas etiam gratias habere non nequeo Tibi, Vir Amplissime! R. LOHMAN, Senatus Groningani Actuario, qui tanta humanitate aditum ad Tabulas urbis et sic occasionem huic opusculo componendo praebuisti adeo facilem.*

*Denique ne credas Tui esse immemorem, Vir Doctissime P. TRESLING! cujus familiaritate et occasione aegrotos visitandi frui. mihi quoque licebat.*

*Valeatis omnes igitur Viri Clarissimi! Valeatis Viri Doctissimi!*

*Et tandem vos Commilitones optimi! inprimis Amici integerrimi! Valete!*

# DISSERTATIO
## POLITICO-MEDICA INAUGURALIS,

DE

## CURA PUBLICA, IN CIVITATE GRONINGANA, INPRIMIS AD CIVES SANOS ET SALVOS SERVANDOS, TUM VETERIORI, TUM RECENTIORI AEVO, HABITA.

---

### INTRODUCTIO.

Nemo sane est, quin agnoscat, quam salutaris, imo necessaria sit publica civium sanitatis cura gerenda. Perplurima sunt, quae a medicis singulis, etsi conspirantibus, hac in re perfici nequeunt, sed auctoritatem et opem flagitant Magistratus potentioris. Multum autem abest, quin *Medicina Politica*, uti haec disciplinae medicae pars vocatur, ita in nostra Patria sit exculta, ac in vicinis Galliae et Germaniae regnis, ut pari passu cum arte medendi progressus fecerit. Deest hucusque Codex

Medico-Politicus generalis; leges quidem perplures sunt latae et publici juris factae, curam rei medicae gerentes, sed in systema nondum redactae, quod tale nomen meretur. In fine ultimi aevi, renovatâ totius Reipublicae regiminis formâ, Viri solertissimi etiam Medicinae politicae instaurandæ utilitatem et necessitatem intellexerunt et hanc rem susceperunt. Sic Doct. H. A. BAKE opere egregio Cl. J. P. FRANK de Regimine politico-medico in linguam vernaculam translato et aucto edendo (1), multum ad hunc scopum attingendum contribuere tentavit. Cl. M. VAN GEUNS, hujus urbis antea et dein *Ultrajecti* Archiater et Medicinam docens, de industria ibi de publicâ civium sanitate tuendâ orationem habuit, etiam a Doct. BAKE sermone vernaculo editam (2). *Amstelodami* de Collegio sanitatis publicae curam gerente in hac urbe instaurando et norma medico-politica constituenda Viri doct. et humanissimi omnem operam impenderunt, uti ex eximio horum labore patet (3); nonnulli

(1) J. P. FRANK, *Geneeskundige Staatsregeling* enz. *vertaald en met aanmerkingen vermeerderd door* H. A. BAKE, Leyden 1787.

(2) *De Staatkundige handhaving van der ingezetenen gezondheid en leven aangeprezen*, *en in eenige proeven voorgedragen door* MATTHIAS VAN GEUNS, Med. Doct., Prof., Archiater enz. te Utrecht, *uit het latijn vertaald door* H. A. BAKE, Med. Doct. enz. Amst. 1801.

(3) *Verzameling van stukken*, *betrekkelijk de aanstelling eener Commissie van Geneeskundig Toeverzigt te Amsterdam*, Amst. 1798.

Medici Amstelodamenses iam tunc hujusmodi Regimen in totius Reipublicae commodum constituere proposuerunt. Verum haec conamina optatos non tulerunt fructus, sed plurima irrita fuerunt, uti Doct. C. J. NIEUWENHUIJS, Medicus Amstelodamensis, in Topographia hujus urbis medica conquestus est (4). Inter ea tamen, quae Reipublicae restauratae debemus, certe utilissima dicenda est Collegiorum medicorum Provincialium constitutio anno 1801. Ceterum irriti etiam fuerunt labores Collegii Medicorum principum, dein ad reformandam Medicinam politicam, in totius regni Belgici emolumentum, *Sylvae Ducis* anno 1828 (5) convocatorum, ex jussu Regis Augustissimi, quo nemo magis hujus rei necessitatem perspexit; tumultus in Belgio meridionali oborti, uti tot plura perturbaverunt, haec pia vota etiam frustrati sunt.

Mansit itaque Medicina politica vitiosa; nec mirum undique rursus voces audiri, quae huic medelam afferri flagitant. Nonnulli vel hunc in finem optime succurrere putant studio diligentiori hujus disciplinae. Ita hunc campum vastum sed certe fertilissimum jam elaborare inceperunt, cum legibus politico-medicis variis sparsisqne colligendis et eden-

(4) *Proeve eener Geneeskundige Plaatsbeschrijving der stad Amsterdam* enz., Amsterd. 1816, D. I. *Voorr.* p. 7.

(5) Acta hujus Collegii etiam typis sunt expressa.

dis (6), tum Diario politico-medico redigendo (7), ut ex illis, quae adsint, melius cognitis, pateat, quae desiderentur, et occasio praebeatur, qua de industria haec res tractari queat. Fretus opinione me huic scopo omnino utili etiam aliquid collaturum saltem materiem non omni momento destitutam tractaturum esse, si pro Dissertatione ea, quae ad Medicinam politicam Civitatis *Groninganae* pertinent, perscrutarer, congererem et exhiberem, datam mihi hujus rei occasionem gratissimam arripere non dubitavi. Ne tamen fines Dissertationis nimis excederentur, ex Medicinae politicae satis lato ambitu, hanc modo partem tractandam elegi, quae spectat curam diaeteticam et prophylacticam civium, reliqua quae supersunt de cura magis therapeutica, de re medica exercenda, etc. aliis investiganda relinquens. Hoc argumentum simul historice elaborare, ita ut quae a pristinis aevis ad recentissima tempora hac in re sunt ordinata, enarrentur, non solum scitu dignum, sed etium utile fore existimavi, cum ita certiores reddamur, quid peractum, quid neglectum et quomodo hac in re cultura humana progressa sit, imo et le-

---

(6) *Verzameling van Wetten, Besluiten en Reglementen, betrekkelijk de Burgerlijke Geneeskundige dienst in het Koningrijk der Nederlanden*, 's Gravenh. 1836.

(7) *Wenken en meeningen omtrent Geneeskundige Staatsregeling enz.*, *door* J. P. Heije.

ges antiquae adhuc nobis non raro exempla praebeant eximia. Quod inde redundaret emolumentum, satis saltem compensaturum putavi arduum laborem, quem in perscrutandis vetustis legibus et decretis obire opus erat. Quemadmodum quaeque urbs pro ipsius situ et statu, pro civium vivendi et agendi ratione, pro regiminis forma etc. suam habet et postulat Hygieinam publicam, ab ejus incolis et inprimis medicis ibi artem excercentibus prae ceteris cognoscendam, ideo talis historia politico-medica, quam hic tradere mihi proposui, de Civitate *Groninga* inclyta, cujus Magistratus olim fere omni gaudebat potestate, omnino, ni fallor, suum locum occupare meretur, et inprimis artem medicam ibi colentibus non nisi accepta esse potest.

In tradendis itaque iis, quae ad civium sanitatem publicam tuendam Magistratus fecerit, hunc ordinem sequar: Dicam 1°. de salubritate urbis tuenda, 2°. de potulentorum et alimentorum cura, 3°. de morborum epidemicorum et contagiosorum propagatione et dispersione arcenda, 4°. de civibus salvis servandis a laesionibus externis, et 5°. praeterea addam lingua vernacula integras leges medico-politicas nunc vigentes nec nonnulla antiqua memorabilia decreta, ut haec accuratius inspici et cognosci possint.

# CAPUT I.

## DE URBIS SALUBRITATE TUENDA.

Quicunque urbem *Groningam* inspiciat, occupantem solum arenosum editius in fine clivi, e *Drenthia* se extendentis seu dorsi *Hondsrug* vulgo vocati, inter prata quidem argilloso-turfosa depressiora, sed semper viridescentia, ubi ambo flumina *Aa* et *Hunesa* olim dicta, hodie *Horensche* et *Drentsche diep*, ad utrumque hujus dorsi latus et per urbem decurrentia, confluunt — non potest, quin hunc locum satis salubrem, amoenum et aptum habitationis habeat (8). Nec mirum igitur urbis situm laude omnino dignum censuisse quondam Cl. VAN DOEVEREN, adeo ut hic valerent verba, quibus FURIUS CAMILLUS, Romanam plebem retenturus, ne incensam ac dirutam per Gal-

---

(8) Conf. de situ urbis Groningae UBBO EMMIUS, *de agro Frisiae inter Lavic. et Amas. deque urbe Groninga*, fol. 14.

los urbem *Romam* relinqueret atque *Vejos* commigraret, situm *Romae* commendavit. » Non sine causa (haec sunt verba, quae paucis mutatis ex Livio adduxit) Dii hominesque hunc urbi condendae locum elegerunt, saluberrimum collem, flumina opportuna, quo ex vicinis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur: mare vicinum ad commoditates nec expositum nimia propinquitate ad periculum classium externarum; regionis hujus medium ad incrementum urbis natum unice locum" (9). Falletur tamen, qui hunc situm prorsus naturalem haberet. Ambo enim illa flumina olim, uti noster Emmius (l c.) docet, et ex aliis patet documentis, majori minorive distantia ab urbe hanc circumibant et dein confluebant. Majorum industriae indefessae debemus horum fluminum ad civitatem derivationem adeo landandam, etiam propter salubritatem urbis inde magnopere auctam. Quamvis enim inprimis ad hoc opus vere ingens Magistratus Groninganus sit incitatus ad urbem sic commercio magis opportunam ut et magis securam reddendam, tamen vix dubitari licet, ipsum etiam ante oculos habuisse emolumen-

---

(9) G. van Doeveren, *Sermo Acad. de Sanitatis Groningae praesidiis, ex urbis Hist. nat. derivandis*, Gron. 1770, p. 32, a Doct. M. van Geuns transl. p. 33, Conf. Livii *Hist.*, Dec. I. lib. V fine.

tum insigne, quod praeterea urbs ex derivatione horum amnium capere posset. Ita enim jam semper aquae ruentis optata copia est praedita, ad quam comparandam praesertim veteres tantam impenderunt operam, aquaeductus, nunc adhuc in ruderibus admirandos, struxerunt, ne urbes ex aquae penuria interierent, uti exempla non rara, fluminibus aut fontibus carentibus vel exarescentibus, docuerunt. Quando illa derivatio peracta sit, non ita constat; prior fluvii *Aae* adeo vetusta videtur, ut fugiat omnem memoriam, nec nisi ex ipsius fluminis reliquiis, quae ad occidentem urbis in solo supersunt, cognosci possit; posterior *Hunesae* vix seculi decimi quinti initio perfecta fuisse computatur. Quidquid sit, huic urbis situi, jam ex natura admodum idoneo, sed artis ope omnino exornato tribuendum videtur ipsius insigne, quod hodie offert, incrementum.

Inter prima sanitatis praesidia, in nostra Patria propter climatis et soli naturam non impune negligenda, pertinet munditia. Nulla certe regio, nulla gens huic magis studet, quam nostra Batava, adeo curiose vel huic indulgens, ut famam inde sibi conciliaverit, et certe etiam necessitate edocta, imo coacta potius, quam ex consuetudine solum huic propensa. Ad hanc munditiam urbis adeo necessariam consequendam omnino juvat situs urbis declivis versus flumina praedicta,

quae fossa conjuncta olim urbem totam cingebant, nunc adhuc urbem veterem ambiunt, ita ut cloacae et aquaeductus ex urbe interiore in hosce amnes, qui vulgo *diepen* nuncupantur, exonerari possint. Cum vero cloacarum et aquaeductuum ope modo pro parte sordes aquosae ex plateis et aedibus amoverentur et solidiores restarent, alio modo erat urbs illis expurganda. Ab omni aevo, quo urbs florere inceperit, jam Magistratus ad hanc rem attendit et incommodis, ex sordium accumulatione obortis, mederi tentavit (10). Eo tempore quo cives Groningani non solum mercaturae et opificiis variis, sed etiam agriculturae operam dabant, prorsus alia erat urbis facies quam hodierna. Sues, uti ex Codice Groningano,

---

(10) Tam veteribus quam recentioribus semper res fuit maximi momenti urbium depuratio a sordibus. *Romae* fossae et cloacae — hae a TARQUINIO PRISCO et SUPERBO, hinc immortale nomen adeptis, exstructae — suos habuerunt Deas et Deos, Deum *Sterquilinum*, Deam *Cloacinam*, *Mephitinam*. Viri maxime insignes inter veteres non dedignati sunt, cloacarum curam gerere, uti *Thebis* EPAMINONDAS, *Romae* CICERO et AGRIPPA. Quamdiu rite conservabantur, urbs salubris erat; at Barbarorum impetu aquaeductus destruebantur, cloacae non curabantur et aër urbis ingentis effluviis putridis inficiebatur. Parisiorum urbem *Lutetiam* a luti colluvie, unde nomen accepit, liberare Rex LUDOVICUS XIV a gloria sua non alienum censuit. De cloacis urbis Parisiensis multi viri eximii meruerunt et etiam NAPOLEON attentione sua non indignas habuit; sed haec urbs caret aqua fluente ad sordium ductus diluendos et salubriores reddendos. Homines cum vitae periculo in angustas illas cloacas descendere debent, ut purgentur et impediatur, quo minus omni decennio morbus pestilentialis hanc urbem amplissimam infestet.

anno 1425 renovato, patet (11), per magnam anni partem libere per vias nondum omnes stratas currebant et limo et fimo volutabantur; pecudes per plateas urbem exibant ad prata et redibant ad stabula; ante domus, plerasque modo ligno et argilla, ditiorum solum lateribus constructas, sterquilinia prostabant — brevi, talis erat urbis facies, qualis adhuc in pagis *Drenthiae* et *Westerwoldiae* et oppidulis rusticis *Twentiae* etc. conspicitur. Primas ad urbis munditiam promovendam a Senatu Groningano leges latas reperimus anno 1497, quibus decretum est: Nemo urbis aquaeductus aut canales impediat; quisque fimum et sordes extra portas in civium agrum communem (*buurmande*) abducat; nec e domo in plateas efferat, nisi ante solis occasum extra urbem in agrum communem deferat; ubi tramites (*rijpen*) desunt in plateis, hasce quisque ad dimidiam latitudinem et ad totam longitudinem ipsius aedium — et ubi tramites adsunt, hosce purget; plateas ita purget, ut omnes primo die vulgari diem solis insequente mundae inveniantur; et tandem: nemo per plateas sues habeat (12).

(11) *Stadboek van Groningen* van 1425, B. V. Art. 38.

(12) Haec Senatus decreta inveniuntur in Appendice Codicis Groningani manu scripti, in Bibliotheca Academiae Groninganae conservati, dum in Codice edito aliisque manu scriptis visis desint. Co-

Plurima dein nova aut repetita publicata sunt decreta de urbe ipsiusque plateis, foris aliisque locis publicis purgandis (13). Ex hisce elucescit, extra urbem primum plura, dein (1635) duo, nempe extra Portam a *Grue* dictam et portam *Orientalem*, publica fuisse loca, quorum ultimus superest, et viris mandatum, primum modo 6, postea 9 (1668), dein 12 (1669) et tandem 14, cum suis vehiculis, antea bis, jam ter per hebdomadem, omnes sordes totius urbis in pla-

---

dex nimirum Groninganus praeter leges vetustissimas, anno 1425 de novo stabilitas, varias pro variis libris manu scriptis continet additas leges deinceps latas aut reformatas; Senatus vero decreta, cum manu scripta in ipsius Actis (*Stads Resolutieboeken*), cum typo expressa et publicata (*Stads Ordonnantien*, *Plakaten* etc.), in urbis Tabulis (*Archiven*) alibique obvia, non nisi cum saeculo 17mo incipiunt; hinc historicae inquisitiones hac in re vulgo illud tempus non antecedunt, cum ex hisce decretis praesertim materies haurienda sit. — Brevitatis causa (quod hic adnotare liceat) *Senatus decreta* per litteras *S. D.* et *Senatus decreta publicata* per litteras *S. D. P.* indicabuntur.

(13) Uti *S. D. P.* 21 Oct. 1623, 24 Apr. 1624, 1 Sept. 1629, 16 Jan. 1634, 15 Febr. 1635, 18 Nov. 1654, 12 Oct. 1657, 1 Dec. 1658, 30 Oct. et 3 Nov. 1660, 8 Oct. 1661, 1663, 1 Jan. et 11 Aug. 1666, 15 Apr. 1668, 19 Jan. 1669, 31 Mart. 1671, 21 Jun. et 21 Jul. 1675, 24 Mart. 1681, 16 Maj., 21 Jul., 30 Sept. et 10 Oct. 1681, 1683, 17 Apr. 1684, 1 Oct. 1694, 25 Febr. 1697, 24 Jan. 1700, 2 Nov. 1701, 18 Oct. 1703, 10 Nov. 1704, 31 Mart. 1713, 28 Nov. 1726, 3 Jan. 1727, 31 Maj. 1728, 10 Febr. 1730, 24 Dec. 1731, 31 Mart. 1756, 17 Jan. 1797, 29 Jan. 1798, 10 Oct. 1808 et tandem *Reglement van Politie voor de Gemeente Groningen*, gepubl. 18 Nov. 1822, Hoofdst. III, continens constitutiones politicas hodie vigentes de urbe purganda; Art. 77 postea secundum *S. D. P.* 15 Oct. 1835 solum est mutatus.

teis conversas aut ex aedibus ibi in vasis collectas illuc auferre, ut in laetamen ulterius convertantur et sic devehantur. Hunc in finem civibus jussum, ut saltem semel per hebdomadem, diebus statutis, plateas verrant et tramites abstergant, aquaeductus et cloacas (*goten en riolen*) ante et juxta aedes purgent, tales, quae inter aedes adsunt (*wanden*), antea semel, post 1835 bis per annum; nullas sordes in fora, plateas, pontes, aquaeductus, amnes aliaque loca publica projiciant, sed domi conservent in vasis et haec exhibeant sordium vectoribus; porro vetitum latrinas habere, quae in urbis aquaeductus (exceptis amnibus) exonerantur, alvum aut vesicam evacuare in plateis, nisi locis huc publice dispositis, uti sub pontibus et in cellulis, quae plures post annum 1826 fatalem in vicis pauperum circa moenia sunt locatae, etc. — Ita urbis purgatio cum laetaminis praeparatione duplici scopo conjuncta est, non nisi insigni urbis emolumento et lucro, quippe quae ex venditione harum sordium, laetamen optimum praebentium, ad ipsius colonias excolendas, fructus adhuc carpit non mediocres, adeo ut non immerito stercus hic in aurum conversum vulgo dicatur. Sterquilinium ipsum extra portam *Orientalem* recentius post epidemiam anni 1826 ob foetorem et adspectum ingratum muro ligneo arbustisque cinctum est.

Quicunque haecce decreta iterata de urbe sordibus purganda (quorum hic modo summam attuli) legat, non potest non animadvertere insignem, quam Magistratus hac de re gessit curam, sed etiam quam difficilis vere herculeus sit talis labor, ut ex repetitis querelis videndum, quas de legum negligentia hisce praemittere coactus erat Senatus, ita expertus multo molestius esse leges tueri quam dare (14). Nec desunt hodie, veluti primum in urbem venientes, qui de sordium colluvie, in urbis plateis, hyeme tempo-

---

(14) *S. D. P.* 15 April 1668. „Alzoo wy daegelyk bevinden, dat de merkten, straeten, cingels midtsgaeders alle andere publycke plaetsen ende stegen dezer stadt, hoe langer hoe meerder met allerhande dreck ende vuylnisse worden besmeten, waerdoor niet alleene de lucht met eene vuile ende schadelycke stanck wordt infecteert, de gedaente ende aanschouw der publycque plaetsen schandelyk ontciert, maer ook de passagie derselver tot een algemeyn ongeryf der ingesetenen belediget; soo ist." etc.

*S. D. P.* 24 Dec. 1731. „Nademaale onse vorige ordres op het reinigen der straten, opruimen der canalen, ende afspoelen der rypen niet en hebben gehadt dat succes, welk wij met reden daarvan hadden mogen verwachten, zynde en blyvende de straten, de geheele stadt door, voornamentlyk in herfst en wintertyden, even morsig, ja op eenige plaatsen byna inpracticabel, tot zulk een merkelyk discieraat van deze stadt, daer nochtans dezelve even gemakkelyk na het exempel van andere steden, schoon en zuiver konde gehouden worden, dede maar een jeder, hetgeen hy behoorde en schuldig is te doen, ende hetwelk de bewoonderen van andere plaatsen, met lust ende vermaak, tot hun eigen genoegen doen, zonder bedwang van eenige poenaliteiten ende doordien het onze zeer ernstige meining is, de straten schooner te willen hebben, hebben wy tot bereiking van dit ons salutair oogmerk nodig geagt, etc."

reque humido praesertim obvia, nec in aliis urbibus, uti ferunt, reperiunda, querelas instituere solent, forsan non omnino negandas. Causa vero etiam in urbis structura et situ est quaerenda. Omne enim fere commercium per urbem vehiculorum ope locum habere debet, quoniam modo urbs vetus amne sit circumdata, nec plures adsint, quibus navi frumenta, merces aliaque bona transferri possint, uti in aliis Patriae urbibus fieri solet. Accedit, extra urbis plurimas portas solum reperiri argillosum, cujus limus, ad urbem cum curribus etc. advectus, tempore humido, et cum sordibus ibi obviis commixtus, plateas admodum lutosas et glabras reddit. Insignem huic malo medelam allatura est nova, quae jam inchoata est, platearum pavimentandarum ratio cum lapidibus superficie magis planis et magìs quadrantibus, inter quos humus non adeo retineri nec ex solo ipso exprimi potest.

In iis urbis vicis, ubi pauperes inprimis degunt, luti colluvies augetur congerie variarum rerum excrementitiarum, quas in tuguriis conservare nequeunt nec propter pigritiam, paupertatis et inmunditiae fidam comitem, ad loca hisce destinata transferre amant; — imo potius apud et ante, quam in cellulas et receptacula, hunc in finem constructa, sordes et excrementa evacuant, unde fit, ut fere semper ibi

faecum offendamus congeriem admodum nauseosam. Hoc malum inprimis locum tenet, ubi homines inferioris conditionis confertim et separatim ab aliis honestioribus civibus habitant, ubi, ut ita dicam, paupertas dominat; quo magis itaque (sin fieri posset) pauperes distribuantur et inter honoratiores vivant, eo magis horum mores sequentur, mundi et impigri evadent et huic malo, alias cura non obstante optima insanabili, medebitur.

Inter salubritatis obstacula ingratissima, sed emendatu molestissima pertinet etiam foetor, non raro fere intolerabilis, quem durante aestatis inprimis fervore diuturno aquaeductus urbis exhalant. Quamvis urbis situs ab omni parte, inprimis oriente et occidente, declivis omnino faveat materiarum aquosarum derivationi per aquaeductus ad amnem, urbem veterem cingentem, tamen cum hi aquaeductus non sint rivuli fluentes, sed, praeter aquam pluvialem, non nisi aquam sordidam, multis exuviis ex aedibus et plateis onustam vehant, non potest, quin tempore sicco haec aqua non diluta in hisce canalibus stagnet et corrumpatur, licet iterato, imo quotidie purgentur, cum mox repleantur. Hoc incommodum inprimis aestate fervida diuturna anni 1826 adeo grave fuit, ut solum ipsum, aquam sordidam absorbens, vapores foetentes fervore extricatos ederet,

nec omni cura impensa emendari potuerit, cum aqua pura fluens, qua aquaeductus eluerentur, deficeret.

In urbis parte nova revera etiam derivatio vitiosa erat accusanda. Haec enim urbis pars, amni veteris urbis circumsita, non in hunc amnem aquam effundit, sed extrorsum, et quidem, postquam aquaeductus antiqui, urbe aevi 17$^{mi}$ initio ampliata, novis tunc exstructis moenibus impediti sint, in fossam moenia cingentem per canalem, intra haec urbem ambientem (*ring-* of *barmsloot*), quo aquae decursus retardabatur. Durante tempore pluvioso, effectus hujus tardae aquae derivationis non ita conspicuus erat, sed quidem sicco, qualis erat aestas anni 1826. Hoc anno ergo illud, quantum posset, emendatum est, promovendo aquae decursu in urbe parte boreali et occidentali, aquaeductibus restauratis et ita constructis, ut aqua pura perflui possit.

Nullius vero talis emendatio magis erat necessaria, quam canalis stagnantis et in urbe finientis, *Boterdiep* dicti, cujus aqua ex multis aquaeductibus et cloacis, in illum se exonerantibus, illuvie varia implebatur et corrumpebatur, foetorem notabilem tempore calido spargens; cui certo certius solum argillosum, in hac urbis parte incipiens, suas etiam contribuebat partes. Cognitum est, epidemiam anni 1826,

ut et alias, inprimis in hac urbis parte boreali incepisse et saeviisse. Ad hosce funestos effectus diminuendos, anno 1826, iste canalis perfossus est, ut aqua amnis urbis fluentis (*het Loopende Diep*) in illum duci posset. Olim etiam ambo communicaverant, sed postea, hujus canalis parte oppleta, aquae liber meatus erat obstructus. Porro, sequenti anno 1827, amnis fluens in loco superiore etiam est perfossus et aquaeductus constructus, cujus ope aqua fluens jam per magnam urbis novae partem orientalem duci et in canalem *Boterdiep* rursus effluere potest.

Praeterea ad aquae faciliorem decursum procurandum multi aquaeductus defecti aut vitiosi renovati, nonnulli mutati, alii deleti sunt, etc. (15).

Similes causae, ac cum aquaeductibus minoribus locum habent, etiam ansam dare possunt origini effluviorum insalubrium ex fossis aut amnibus urbis. Quamvis enim legibus variis sit prohibitum, sordes qualescunque in urbis amnes projicere (16), tamen cloa-

---

(15) *Verslag van de in het jaar* 1826 *te Groningen waargenomene ziekten, door de Plaats. Comm. van Geneeskundig Toevoorzigt* enz. Aant. bl. 117.

(16) Huc pertinent Senatus decreta, quibus vetitum est, dejicere materiem ex cespitibus bituminosis seu turfis in navibus hasce vehentibus residuam aliasve sordes in amnes (*S. D. P.* 22 Jul. 1675, 2 Nov. 1701, 18 Oct. 1703); sordes in amnem prope pontem Boteranum

cae et aquaeductus tantam quotidie advehunt aquae sordidae, quin ex aedibus ad amnes sitis excrementorum humanorum copiam in amnes, ut hi, non obstante aquae renovatione et purgatione a limo, de industria instituta, fere semper, sed maxime aestate, sordibus abundent (17). Nam cum amnes, hoc anni tempore, multo minorem aquae fluentis quantitatem vehant, et, ne aqua defluat, hujus decursui cataractis clausis obex ponatur, amnes tunc in canales fere stagnantes convertuntur, in quibus aqua, ob contentas sordes materiasque ad putredinem pronas, hanc facile subit, inprimis si aqua marina, non raro propter aquae penuriam intromissa, singulari modo, uti notum, huic putredini faveat, satis luculenter etiam ex aquae colore turbido, odore putido et sapore ingrato se palam facienti, etsi non tam conspicuae ac *Amstelodami*.

Inter epidemiae saepius dictae maxime salutares

---

(*S. D. P.* 3 Sept. 1681), nec in amnem ipsum Boteranum (*S. D. P.* 1 Oct. 1694, 28 Jan. 1750); et faeces e latrinis privatis nisi in amnis fluentis partem borealem (*S. D. P.* 1 Febr. 1712); vasa faecibus impleta in ipsos amnes urbis evacuare (*S. D. P.* 3 Jan. 1727, 31 Maj. 1728, Art. 171 *Reglement van Politie*). Anno 1793 decrevit Senatus se non veniam daturum cloacis struendis, per quas faeces derivari possint (*S. D.* 8 Aug. 1793). Cellulae sub pontibus non amplius etiam hasce in amnes exonerant.

effectus praecipue nominandum est consilium, quo tunc finis sepeliendi consuetudini intra urbem hic quoque tandem impositus est. Hoc jam Cl. VAN DOEVEREN (18) graviter sed frustra urserat: »ne, qui vita sua Reipublicae amplius prodesse nequeunt, mortui, putredine viventibus civibus immaniter noceant." Nec non illud moliti erant Gubernatores hujus Provinciae sub potestate Regis LUDOVICI et Imperatoris NAPOLEONTIS, sed non tantum periculi in tali sepeliendi ratione in aedibus sacris et coemeteriis intra urbem, quantum difficultatis in consuetudine hac antiqua mutanda tunc viderunt Proceres civitatis, et sic duravit, donec, ex auctoritate Regis GULIELMI I, sepultura in aedibus sacris die 1 Dec. anni epidemici 1826 cescaverit (19), et intra urbis moenia omnino 1 Nov. 1827 (20). Simul extra urbem duo loca, alterum australe, alterum boreale, spatiosa et satis amoena, hunc in finem sunt adornata sepulturaeque ratio deinceps reformata (21); — non secus ac tota Patria hodierni Regiminis prudentiae similem debet emendationem.

---

(17) *Sermo Acad.* etc. p. 56, transl. bl. 61.

(18) *S. D. P.* 16 Oct. 1826.

(19) *S. D. P.* 1 Oct. 1827.

(20) *S. D. P.* 2 Maj. 1835 continens *Reglement op het begraven van lijken in de Gemeente Groningen.*

Ob eandem causam utilissimis praeceptis adnumeranda est lex in Codice Groningano jam obvia, quae jubet pecudes mortuas, sive intra, sive extra urbem, primo post obitum die humare (21). Dein offendimus repetita decreta, quibus pecudes mortuas sepelire jussum. Locus, qui ad animalia, praesertim equos mortuos, sepelienda inserviit, erat adhuc ante aliquot annos campus extra portam *Exercitus* (*Heerepoort*), pone arbustum *Sterrebosch* situs, ubi antea patibulum stetit (22), locus certe ambulatoribus et itineratoribus non gratum praebens spectaculum; quare etiam propter timorem, quem equus ibi necatus et cute orbatus equis vivis currum vehentibus incuteret, illud est remotum et nunc ad locum magis solitarium, ad fossam urbem cingentem inter portas *Steentilpoort* et *Ebbingepoort* est translatum, dum collis et puteus patibuli adhuc superstites jam novissime etiam diruti sunt et campus planatus et arbusti in formam adornatus est. Quam funesta sit neglecta animalium mortuorum sepultura, nos docuit historia Epizoötiae

---

(21) *Stadboek van Groningen.* B. V, Art. 37.

(22) Uti illud jussnm *S. D. P.* 1 Jun. 1671, 10 Oct. 1681, quidem vetitum *S. D. P.* 19 Mart. 1725, sed renovatum *S. D. P.* 21 Sept. 1742, 18 Maj. 1764, 31 Jan. 1780.

anni 1250, quae incolis hujus regionis adeo perniciosa fuit ob putredinem pecudum mortuarum insepultarum (23). In simili calamitate recentiore, saeculi XVIII medii, ad noxas, incolis inde oriundas, avertendas, praescripsit Magistratus Groninganus modum, quo pecudes mortuas humare oportuit (24).

Si porro urbis formam, plateas rectas et latas, fora ampla, areas et hortos numero et spatio insignes, aedes non altas etc. respiciamus, difficile alteram in nostra Patria reperiemus urbem, quae *Groningae* hac in structura, aëris renovationi necessariae adeo favente, palmam praeripiat. Non facile hinc effluviorum noxiorum accumulatio et aëris inquinatio locum habere potest, nisi aestate calida, atmosphaera parum ventis commota. Moenia ipsa satis alta, quibus inprimis ad meridiem cingitur urbs, certe ventum, leniter modo flantem, arcere et sic aëris optabili commotioni obstare, contra vero procellas frangere et vapores, e mare et locis palustribus exhalatos, quodammodo prohibere valent. Ne aëris renovatio impediretur, antea lege erat

(23) *Dissert. Historico-Medica Inaug. de morbis Epidem, qui in urbe et regione Gron.* etc. *a saeculo XIII ad saeculi XVIII finem grassati sunt*, *Auct.* S. P. Popta, Gron. 1838, p. 12.

(24) *S. D. P.* 3 Apr. 1745.

cautum, ut podia, quibus omnes fere aedes erant praeditae, non magis quam sex pedes ab aedibus prostarent et aperta essent. (25). Postea anno 1744 vetitum, nova exstruere suggrundia, et jussum, haec omnia intra sex annos dimovere (26), quod multum quoque urbis ornamento contulit.

Ceterum non solum urbis facie magis nitida reddenda et iis amovendis, quae salubritati nocere possent, sed etiam ipsius situ adornando, utile cum dulci conjungens, civium saluti consuluit Magistratus. Illud jam eleganter hisce verbis annuit Cl. VAN DOEVEREN (27): »Immo ipse perillustris et amplissimus hujus urbis Magistratus sanitatis corporis, et tranquillitatis mentis suorum habet curam, dum undique civitatem magnifice ornat, publicas corrigit vias, et ambulationes intra urbem, in moenibus, in suburbiis, parat; uti nuperrime immortales a civibus grates promeruit, cum amoenissimam illam, laeteque jamjam excrescentem sylvaculam plantari, extra portam *Dominicam*, curavit (28), in qua corporis motu, animi recreatione et purioris aëris haustu, valetudinem suam non modo sartam tectam

(25) *S. D. P.* 1 Dec. 1658, Art. XIII.

(26) *S. D. P.* 27 Junij 1744.

(27) *Sermo Acad*, etc. p. 40, transl. bl. 44.

(28) *S. D.* 12 Apr. et 22 Oct. 1764.

servare sani, sed et vacillantem, restitutis pristinis viribus, convalescentes recuperare possunt." — Si nunc vixisset et vidisset moenia variarum urbium, etiam Patriae, in hortos amoenos conversa, non minus quam tota civitas similem vallorum, huic adeo aptorum, optavisset mutationem.

Inter desideranda autem non omittenda rogavit Vir Cl. » quae ad pebleculae honestam delectationem et durorum laborum dulce levamen aliquid conferri queant." (29) Nec desunt hodie, qui ludorum popularium instaurationem, non solum delectamenti gratia, sed etiam ab morum culturam probant, quam omnino promoverent tales ludi, quia plebs hisce fruita abstineret ab oblectamentis mores corrumpentibus, quibus adeo indulgere solet. — Nec a talibus publicis delectamentis civibus procurandis alienum fuisse olim Magistratum, probat consilium, anno 1646 in Senatu propositum, ad exemplum aliarum urbium, parare locum, quo ludus, tunc in deliciis habitus et ab annulo dictus (*Maliebaan*), exerceri posset, sed effectu caruisse consilium videtur (30). Quibus nunc gaudet civitas hujusmodi recentioris aevi ludis, spectaculo, etc. suis sumtibus comparatis neque plebs fruitur. Procul

---

(29) *Sermo Acad.* p. 51, transl. bl. 56.

(30) *Acta Senatus* 12 Jan. et 21 Mart. 1646.

dubio prae omnibus faveret populi saluti, cum, nisi balneum artificiale in urbe, tamen id Magistratus efficeret, ut extra hanc illamque portam loca apta redderentur in amnibus fluentibus, ubi durante aestate, cum plebi, tum honestioribus civibus, inprimis juventuti occasio daretur idonea et commoda sine vitae periculo se reficere et lavare, ut et artem natandi discere.

Urbis salubritatis cura in genere considerata, sermonis ordo nunc postularet, ut oculos converterem ad aedium publicarum, uti aedium sacrarum, scholarum, hospitiorum, carcerum, etc. curam, inprimis ad aërem in iis aedificiis purum et salubrem servandum. Cujus rei disquisitio vero cum magis ad Topographiam medicam pertineat nec etiam occurrant singulares leges, quibus de tali cura agitur, dum, quae haec aedificia spectat, collegiis etiam iis praepositis est commissa, ideo sicco pede hanc rem transire licet. Tantummodo hic afferam unicum, quod occurrit hac de re publicum decretum, quo Magistratus prunarum sulfurem olentium et prunarum extinctarum in suppedaneis usum in aedibus sacris vetuit (32). Nullae etiam, quantum scio, editae

(32) *S. D. P.* 15 Mart. 1810.

sunt, aut vigent leges de opificiis in urbe erigendis. Cum autem nemini haec erigere liceat, nisi Magistratus examine instituto illud concedat, ita impeditur, quominus opificia urbi vel nonnullis civibus noxia aut molesta admittantur.

# CAPUT II.

## DE POTULENTORUM ET ALIMENTORUM CURA.

---

Inter res necessarias, quae in omni civitate omnino curam publicam flagitant, habenda est aqua, ut haec optabili copia et salubritate saltem pro potu et usu domestico adsit. Urbs *Groninga*, ut in praecedenti Capite, de ejus situ loquens, jam notavi, non solum praedita est aqua fluente copiosa, sed etiam jacet in solo arenoso elevato, ad aquam putealem salubrem suppeditandam aptissimo, etsi fontibus scaturientibus careat. »Tales enim sunt aquae, qualis terra per quam fluunt", jam vere dixit PLINIUS. Praeter hasce aquae species accedit aqua pluvialis. Aquam itaque potulentam revera non deesse, imo abundare dicere licet. Hoc inprimis valet de aqua puteali et fluviali, quae pro

potu et cibo praeparando maxime usurpantur. Aedes enim civium honoratiorum fere omnes puteis et cisternis sunt instructae, quae toto anni tempore aqua scatent, nisi aestas aut hyems nimis sicca perduret. Praeterea hic et illic in vicis et foris constructi sunt fontes publici, inter quos nonnulli, per aestatem et per hiemem, non obstante fervore aut frigore validissimo, aquam praebent, salubritate sua insignem, uti de fonte in platea *St. Johannis* notum est. Singulis hisce fontibus publicis inter vicos divisis, ita ut certus vicinorum numerus suo utatur fonte, praesunt Aquarii ex vicinis electi, qui ex Magistratus auctoritate horum curam gerunt (33). Quamvis itaque hi fontes in pluribus vicis sufficiant ad necessariam aquae pro usu domestio copiam suppeditandam, tamen non infitiandum est, in vicis urbis novae, ubi pauperes inprimis degunt, numerum puteorum, quibus uti illis licet, non respondere numero incolarum, quare hi incolae non raro ad aquam, in urbis amnibus contentam, confugere debeant. Hoc plerumque locum habet durante aestate diu sicca, quando etiam caret aqua pluviali, quam non nisi tem-

---

(33) *Reglement van Politie*, Hoofdst. XV, *van Buurt en Brandputten.*

pore pluvioso vasis similibusque receptaculis recipere solent, cum iis cisternae vulgo desint. Verum hoc tempore, uti vidimus, haec aqua amnium, alias fluens, minori adest copia, magis stagnat et cum sordibus est inquinata, imo non raro aqua marina commixta, ita ut, licet satis renovetur nec adeo corrumpatur, ut tantam vaporum noxiorum copiam edat, qui aërem infectare queant, tamen pro potu et cibo praeparando admodum sit ingrata, inepta et insalubris. Medicis, hosce vicos frequentantibus haec notissima res est, nec immerito huic aquae foetidae et corruptae usui, saepe per septimanas protracto, morborum in aestatis fine vulgo grassantium adscribunt frequentiam et gravitatem, nec non statum cachecticum inter pauperes adeo familiarem. — Admodum itaque conduceret ad pauperum sanitatem conservandam, si plures in horum vicis adessent fontes, ex quibus saltem tempore sicco aquam salubrem haurire possent.

Num etiam leges sint latae, quibus cautum est integritati potuum arte factorum, uti cerevisiae, antea adeo hic usitatae, ut vel octoginta officinae, in quibus cerevisia praeparabatur, in urbe *Groninga* adfuisse dicantur, et vinorum aliorumque potuum spirituosorum, quorum abusus hodie tantopere in-

crevit et in diem adaugetur (34), non liquet. Admodum laudabilia et imitatu digna certe forent conamina alibi, etiam in Patria, a Viris humanissimis instituta ad hunc abusum, quantum fieri possit, moderandum, id quod minus ad forum publicum pertinere videtur, etsi adhuc dubitandum, num Magistratui ipsi non liceat, imo tamquam officium grave incumbat, sive legibus prudentibus, sive alia ratione minus directa, salva civium libertate, huic rei medelam adferre. — De lacte id nuper est ordinatum, ut vasa, quibus lac venale per urbem circumfertur, nitida et bene tecta habeantur (35).

De potubus transeamus ad cibos, inter quos primum locum obtinet panis. Panis usitatissimus olim fuit et adhuc vulgo est, qui e secale coquitur, pa-

---

(34) Per decennium, ab anno scil. 1820—1830 computata quantitas vini in civitate *Groninga* quotannis consumta aequalis est 171300 (P. N.), aut, incolarum numero posito = 30,000, 5,7 quotannis, aut 0,01½ quotidie a singulis incolis. Potuum spirituosorum quantitas annua per idem decem annorum spatium consumta aequalis est 375000; igitur singuli cives utuntur quotannis 19, 18 aut quotidie fere 0,05¼ spiritus juniperi, vini aliorumque liquorum fortium, id est tantam, quantam poculum vini vulgare continere potest quantitatem, imo majorem, cum in hac computatione spiritus habeatur 10°, dum spiritus juniperi vulgo non fortior sit quam 8° vel 9°. *Bijdragen tot de Natuurkundige Wetenschappen*, enz. D, VI, bl. 210.

(35) *Reglement van Politie*, art. 339.

nis nigri etiam nomine insignitus, ut distinguatur a pane triticeo albo, honoratioribus hodie magis magisque usitato (36). De hoc pane secalino praeparando, sive ex secale puro, sive cum aliis frumentis mixto, prostant antiqua Senatus decreta, ita ut illius qualitas utique sub publica esset cura, non secus ac pondus et pretium. In tempus sic quidem pistoribus permissum, ob frumenti caritatem, panem coquere cum hordeo, fabis, avena commixtum (37); mox vero jussum non alium panem nisi secalinum et triticeum vendere (38). Recentius anno 1817 ordinatum (39) et in decreto politico anni 1822 ulterius confirmatum, pistoribus non licere, panem, sive secalinum, sive triticeum, venditare, nisi ex frumento secalino aut triticeo puro paratum nec aliis materiis mixtum, quem in finem viris, de hac re curam gerentibus, mandatum, ut saltem bis per annum apud pistores in panem inquirant (40). Praeterea anno 1828 tale examen panis, ut et farinae et frumenti apud pistores obvii, sal-

---

(36) Copia panis triticei ad illam panis secalini a Groninganis consumti fere est, ut 1 ad 3. *Bijdragen tot de Natur. Wetensch.* L. c. p. 200.

(37) *S. D.* 5 Nov. 1698.

(38) *S. D.* 14 Dec. 1698.

(39) *S. D. P.* 5 Jun. 1817.

(40) *Reglement van Politie*, art. 335—338.

tem quater per annum, Magistratui ipso, tempore non praestituto, instituendum est commendatum (41).

De carnis venalis integritate majores nostri valde solliciti fuerunt. In Codice antiquo hujus civitatis jam statutum est, sues Hydatidibus laborantes (*vinnig* seu *gortig*) aut horum carnem non esse rem venalem (42). Anno 1645 Magistratus Groninganus querelis admonitus, pecudes, inprimis in foris, non raro vendi, qui morbis aut vitiis laborarent, ad illud praeveniendum elegit Seniorem et Ductores sodalitii lanionum (*Olderman en Hovelingen der Knokenhouwers- of Slagters-Gilde*), qui boves venales visitarent et praecaverent, ne pecudes morbosae venderentur, sed ut humarentur, et tales, quae vitiis aliis laborabant, aestimarent, ut, pro mali natura et majori minorive gravitate, minori pretio venderentur (43). Variis hujusmodi decretis renovatis et ampliatis dein ansam dederunt epidemiae, inter pecus bubulum iterata vice in nostra patria et regione grassatae. De tot aliis decretis ad harum epizoötiarum dispersum praeveniendum et inhibendum latis hic non agam;

---

(41) *S. D. P.* 30 Oct. 1828.

(42) *Stadboek van Groningen*, B. V, art. 38.

(43) *S. D.* 9 Oct. 1645.

solummodo adferam, quae in civium gratiam eo scopo sunt ordinata, ne caro animalium aegrotantium comederetur aliove modo haec illos laederent. Ita Senatus anno 1715 vetuit carnem bubulam fumo induratam invehere et vendere (44); boves morbo contagioso laborantes mactare et carnem talium bovum vendere aut dono dare, sed jussit talem ilico intra 24 horas ad trium pedum profunditatem humari (45). Tunc etiam Inquisitorem (*Keurmeester*) cum duobus administris e laniis nominavit bovum, qui in urbe mactarentur (46), nec non ordinavit, quid a civibus et lanionibus hac in re observandum esset (47). Anno 1745 loco unius duo Inquisitores sunt electi et norma ipsorum cum jure jurando (*Instructie en Eed*) renovata et ampliata est (48). Nonnihil in hisce mutatum eodem anno 1745, inprimis quod attinet ad vitulos (49). Cum anno 1748 morbus contagiosus denuo idem pecus graviter infestaret, ampliata etiam est norma, secundum quam Senior et Ductores lanionum boves

---

(44) *S. D. P.* 31 Jan. 1715.

(45) *S. D. P.* 14 Apr. 1715.

(46) *S. D.* 4 Jul., 2 Sept. et 7 Oct. 1715; 23 Jun. 1716.

(47) *S. D. P.* 9 Oct. 1715, renovatum 21 Oct. 1719.

(48) *S. D.* 5 Mart. 1745.

(49) *S. D.* 16 Mart. 1745.

inquirere debebant (50); viguit ad annum 1766, quo sublata est (51), sed cum pestis reditu anno 1769 rursus duo Inquisitores sunt nominati et ipsorum norma ampliata est (52), quod iterum (etsi anno 1771 (53) cessavisset) factum anno 1774 ad fraudes arcendas (54). Anno 1786 unicus modo Inquisitor constitutus (55), et deinceps hoc munus obsolevit. — Quamvis etiam Senatus Groninganus jam seculo XVII cogitaverit macellum carnis (*Vleeschhal*) fundare in urbe (56), quin hoc decreverit, et quidem in aedium parte, quae tunc mercibus laneis deponendis et vendendis inserviebat (*Lakenhal*), et ubi hodie butyrum venum prostat (*Boterhal*) (57), tamen macellum ipsum non constitutum fuisse videtur, et adhuc urbs tali utiii eget

---

(50) *S. D.* 24 Sept. 1748.

(51) *S. D.* 11 Jun. 1766.

(52) *S. D.* 4 et 27 Jan. 1769.

(53) *S. D.* 28 Oct. 1771.

(54) *S. D.* 18 Oct. 1774.

(55) *S. D.* 20 Dec. 1786. — Quamvis haec decreta de bovum examine propter morbos inter illos grassatos sint lata, tamen non inutile esse potest unum alterumve horum integrum in Cap. V exhibere, non solum quia epizoötiis talibus, quemadmodum ipse morbus epidemicus jam in Hollandia inter boves obvius demonstrat, nondum simus immunes, sed etiam quia, absque talium epidemiarum metu, major pecudum mactandarum ipsarumque carnis cura foret optabilis.

(56) *S. D.* 11 Jan. 1634, 12 Mart. 1636, 6 Aug. 1638.

(57) *S. D.* 22 Mart. 1639, 1 Apr. 1639, 27 Jun. 1639, 13 et 14 Febr. 1715.

aedificio, quali plurimae urbes Patriae fruuntur; nullo enim modo melius praeveniri potest, ne pecudes morbosae mactentur et haec caro insalubris vendatur. Hunc in finem quidem recentius anno 1831 vetitum est, pecudes aegrotas mactari et carnem talium pecudum introduci (58), sed, non obstante hac lege, insignem quantitatem carnis pecudum, morbis vitiisque laborantium et mortuarum, imo et aliorum animalium domesticorum a pauperibus consumi, non latet medicos aliosque hosce pauperes in tuguriis suis visitantes. — Quod ad carnis curam adhuc attinet, salutaris omnino est dicenda lex, jamdudum vigens, qua sancitum, ne vituli nondum quatuor hebdomades nati mactentur aut ipsorum caro vendatur (59).

Major vel hodie etiam cura habetur piscium inprimis marinorum, quorum copia satis insignis huc advehitur et comeditur. Secundum antiqua Senatus decreta jam vetitum, pisces marinos in urbem advehi, nisi a fori Magistro (*Marktmeester*) inspectos (60). Anno 1674 hoc munus traditum viro,

---

(58) *S. D. P.* 14 Jul. 1831.

(59) *S. D.* 6 Sept. 1743. *Reglement van Politie* Art. 341—345.

(60) *S. D.* 13 Mart. 1639. *S. D. P.* 1 Nov. 1683, de piscibus marinis vendendis Art. 2.

hunc in finem norma instructo et jure jurando adstricto (61), quae anno 1728 sunt renovata (62), quemadmodum hodie adhuc vigent (63). — Hoc vero non impedit, quominus plebs non raro pisces, per diem et diutius conservatos et per urbem circumductos, fere putrescentes, inprimis aestate, comedat.

Tandem hic addendum decretum recentius, quo Magistratus incolas admonere necesse judicavit prudentem usum ostrearum, quae, uti notum, non raro malae, venenatae sunt indolis (64). Ceterum quae sunt alia decreta lata de usu rerum edilium propter epidemiam vel morbum solito magis vigentem suo loco afferam, cum sermo erit Capite sequente de morborum epidemicorum avertendorum cura.

---

(61) *S. D.* 17 et 21 Febr. 1674.

(62) *S. P.* 16 Jan. 1728.

(63) *Reglement van Politie* Art. 346—350.

(64) *S. D. P.* 6 Nov. 1819.

# CAPUT III.

## DE MORBIS EPIDEMICIS ET CONTAGIOSIS PRAEVENIENDIS ET COMPESCENDIS.

---

Nulla in re certe magis requiritur et valet cura civium salutis publica, quam ad morbos epidemicos et contagiosos praeveniendos et compescendos; nec caruit inde a remotioribus temporibus civitas Groningana prudentibus egregiisque hoc scopo salutari ab ipso Magistratu editis legibus praeceptisque, inprimis durantibus variis, quae in urbe et agro vicino grassatae sunt, epidemiis (65). Inter illas primum et insignem obtinent locum decreta contra pestem lata. Antiquissimum hujusmodi decretum, quantum ex monumentis veteris aevi erui possit, est illud anni

(65) Conf. de hisce morbis epidemicis Diss. cit. Doct. Popta.

1623 (66), quo iste morbus dirissimus hanc urbem infecerat. Resuscitatus videtur anno 1635-6 et tunc vel hanc ob rem praesertim edictum est pervulgatum satis amplum contra abusus, qui in sepulturae inprimis ut et nuptiarum celebratione irrepserant, ad mala inde civibus durante peste oboriunda avertenda (67). E similibus iteratis decretis, quibus Patres amplissimi luxuriosam hujusmodi negotiorum aliorumque epulorum et conventiculorum celebrationem moderari et refrenare conati sunt, intelligimus, quantum proavi nostri huic rei indulserint. Ex illis modo dictis decretis annorum 1623 et 1636, dein anno 1656, iterum urbe peste afflicta, novum est formatum (68), et hoc repetita vice ampliatum annis 1664, 1665 et 1666, quo ultimo anno idem morbus in nostra Patria grassatus rursus hanc urbem, ultima vice (Deo gratias) invasit (69). Quamvis spem omnino fovere liceat, nos in posterum immunes mansuros esse a gravissimo hoc morbo, tamen attentione nostra adhuc omnino merentur haec decreta politico-medica, cum testimonia sint nondum spernenda majo-

---

(66) *S. D. P.* 3 Maj. 1623.

(67) *S. D. P.* 16 Jul. 1636.

(68) *S. D. P.* 28 Aug. 1656.

(69) *S. D. P.* 22 Oct. 1664, 27 Jul. 1665, 4 Aug. 1666.

rum vigilis prudentiae ad populum contra calamitates hujusmodi, quantum valeat, tuendum. Breviter itaque hic videamus, quid haec decreta contineant.

In decreto anni 1623 ordinatum: Peste mortuos die tertio sepeliri; sandapilas non per vicinorum ancillas, sed viros funeribus ducendis constitutos ad aedas pestilentes adferri; apud defunctos non vigilari, in aedibus funestis coronas, indusium mortuale (*Heenekleed*) adornari, nec consanguineos funus secuturos ibi coire, sed in aedibus vicinis; homines in aedibus funestis degentes non funera secuturos; indusium mortuale a funus ducentibus aqua immergendum et conservandum esse; nullumque indusium, funere peracto, in sepulcrum deponi; sandapilas superficie planas sine tegmine (*roving*) fabricari aut saltem ita humari; qui sepulcris privis carent, in *coemeterio novo* sepelientur; vestimenta aliaque mobilia ex aedibus infectis non in plateis, sed ipsarum aedium tabulatis superis aëri exponi; nullum stramentum lectorum in urbis plateas projici aut ibi comburi, sed hoc extra urbem; nulla mobilia ex aedibus infectis auferri aut vendi intra tres menses, nec ex officinis, praesertim vestimentorum et mercium ex lana, lino similibusque constantium, intra sex menses, postquam ultimus ibi mortuus sit; domus infectas tamdiu signo, ex stramine confecto,

esse distinguendas; aedium infectarum habitatores et inprimis illos, qui aegrotorum curam egerunt et defunctos sepeliverunt, evitabunt domos vicinas nec frequentabuntur epula nuptialia, gildarum aliosque conventus; porro canes alligentur; aquae ductus a traharum vectoribus non turbentur nec aqua in illos effundatur; nullos pisces putrescentes in urbem aut ad forum afferre licet, et qui per diem in foro solis ardori expositi prostiterint, una cum sordibus vesperi removeri debent.

In decreto anni 1656, nonnulla omissa, plura ampliata et nova addita sunt: Sepulcra, quae in aedibus sacris et coemeteriis altera aut tertia vice aperiuntur, non ad praecedentem sandapilam effodere licet, sed ita, ut duntaxat humus ad altitudinem unius pedis super hac remaneat (Art. II); sandapilae intra 24 horas post obitum claudantur (Art. III); si quis moriatur, non licet plures quam sex vel octo viros aut foeminas ex consanguineis aut vicinis proximis vocare, ita tamen, ut qui haesitent, alios mittere possint, quibus defunctus vestibus liberetur et in sandapilam deponatur (Art. IV); ad indusium mortuale parandum in domo vicina non plures quam octo foeminas vicinas coire (Art. VI); nec tabellas funebres (*Bidde ende Setzedels*) in domo funesta, sed amicorum aut vicinorum componere (Art. VII); omnes

defuncti foris in urbem allati e nave aut curru ilico ad aedes sacras nec prius ad domum transferantur (Art. IX); nautis et aurigis interdictum, vestimenta, pulvinaria, lectulos, strata, linum, cannabim taliaque e locis infectis invehere et vestiariis mercaturam cum illis facere (Art. XIX et XX); civibus aut incolis ipsis, si, consanguineos aut amicos in locis infectis visitandi gratia, urbem exeant, redire aut amicos secum ducere, sed ibi per sex hebdomades, postquam ultimus aegrotus mortuus erit, manebunt (Art. XXI) (70). — Haec ultima latius in decreto anni 1664 edicta (Art. I, II) et commercium omne, quantum possit, cum locis et aedibus infectis evitare admonitum (Art. IV—VIII); porro sandapilas cum pice ita obliniri jussum, ut aqua penetrare non posset (Art. XII); indusium mortuale non domi sed foris in cadavera deponi (Art. XIV); stramentum lectorum, in fasciculos parvos divisum, domi comburi (Art. XVI); aedes funestas locari vetitum, nisi tribus mensibus praeterlapsis, post obitum ultimi aegroti, et hae aedes sint perpurgatae (Art. XVIII); nemini, peste laborantes curanti, licitum, alius domum intrare, nisi consensu heri aut herae (Art. XX). — Senatus

---

(70) Propter pestem in domo obortam, in qua negotium pecuniam pignori dandi agebatur (*Bank van Leening*), illud per sex septimanas est inhibitum. *S. D. P.* 29 Sept. 1656.

in decreto 1665 adhuc praecepit: Funerum ductores non utantur amiculis exsequialibus longis (Art. VIII); plateas et fora bis per septimanam purgare (Art. XVII), et nullos fructus, uti pruna immatura, poma, pyra, cucumeres, melones per urbem venditare (Art. XX). Hoc quoque particulari decreto sine anno et die, sed forsan haec tempora spectante, est prohibitum. Huc saltem pertinet decretum anni 1665, quo mercatores vetiti ex locis infectis in nundinis instantibus cum mercibus suis prostare, illudque omnino ii, qui cum vestimentis, lino talibusque rebus mercantur, et cives, in quorum aedibus pestis esset, admoniti, ne nundinas frequententent nec ibi aut ante aedes aliquid venditent (71); nemini praeterea horum permissum sua bona aut merces ex urbe aliorsum transvehere, sed praeceptum bona transvecta reducere (72), dum vespillonibus non licebat durantibus temporibus illis funestis cadavera ex sepulcris effodere (73). — Denique in ultimo decreto anni 1666 de aedibus, in quibus aliquis peste obieret, adhuc ordinatum, hasce littera P nigra distingui. — Haec est summa decretorum medico-politicorum contra pestim olim latorum; cui placet

(71) *S. D. P.* 2 Aug. 1665.

(72) *S. D. P.* 7 Oct. 1665.

(73) *S. D.* 24 Apr. 1665.

haec accuratius inspicere adeat ipsa decreta amplius Cap. V addita.

Cum anno 1711 denuo pestis in Germaniam orientalem Altonam esset transmissa a Judaeis, cum vestimentis obsoletis mercantibus, et jam cis Albim et Visurgim proserperetur, Senatus Groninganus ratum habuit, ad arcendum morbum, navibus nec itineratoribus, sive Judaeis sive aliis, ex Oriente venturis, aditum in urbem concedere, nisi instructis testimoniis, se ex locis non infectis venire (74). Iterum peste in Polonia et Russia anno 1771 grassante et metum incutiente Patriae, ex auctoritate suprema hic etiam ordinatum, literas ex dictis regionibus allatis perforari, fumo exponi et aceto immergi, antequam traderentur (75). Mox audito rumore, in freto, *het Kanaal* dicto, revera navem Hollandicam morari, in qua pestis aderat, noster Magistratus contra hanc magîs praecavere consuluit (76).

Inter recentiora memoratu dignissima decreta, ob morbos contagiosos epidemicos emanata, pertinent illa anni 1779 contra Dysenteriam, quae tunc in au-

---

(74) *S. D.* 8 Oct. 1711, 17 Oct. 1712.

(75) *S. D.* 6 et 20 Nov. 1771.

(76) *S. D.* 20 Nov. 1771.

tumno per *Drenthiam* et *Westphaliam* grassata, urbis Jurisdictiones urbemque ipsam minitabatur. Ad hujus morbi igitur propagationem impediendam Senatus decreto publico interdixit omnem invectionem ex *Westphalia* vestium aliarumve mercium e lana, vellere etc. fabricatarum, uti et mercium lanearum e locis extra Rempublicam sitis, nisi praeditarum testimonio, illas advehi e locis nondum infectis; porro commercium per urbem harum rerum, introitum in urbem ipsiusque Jurisdictiones Judaeorum, mendicantium et aegrotantium etc., uti latius in ipso decreto legi potest (77). Cum vero hisce aliisque a Provinciae Gubernatoribus sumtis cautelis non obstantibus, Dysenteria in Provincia et urbis Jurisdictionibus erumperet, dein ad ulteriorem dispersum inhibendum sequentia statuit et in hisce publicavit urbis Senatus: Domus infectae sunt distinguendae literis *R. L.* (*Roode Loop*) foris inscribendis; habitatoribus domorum infectarum nullos conventus publicos aut privatos, nec junioribus scholas frequentari licet, nisi in domo per quatuordecim dies morbus nullus fuerit; nemo ex aliis pagis aut locis sanis in hisce domibus degens, redibit aut aliorsum se conferet, nisi per quatuordecim dies morbus ibi

---

(77) *S. D. P.* 23 Nov. 1779. Vid. Cap. V.

cessaverit; aegroti solummodo sua familia curabuntur, aut, si illud fieri nequeat, nonnullis vicinis, aliisve, hisce missis; apud aegrotos moribundos non nisi duo vicini vocabuntur; defunctus lecto et statu eodem manebit, donec sandapila in domo funesta adsit, et a familia sive a duobus vicinis in sandapilam deponetur, vestibus suis indutus; sandapila ipsa statim claudetur; dicto morbo defuncti intra duos aut saltem tres dies sepeliri debent; sepulcrum tam profunde effodiendum est, ut saltem humus ad trium pedum altitudinem sandapilam tegat; nec duae sandapilae in uno sepulcro deponantur; nullum indusium mortuale supra sandapilam aut sepulcrum ponatur; funus non major vicinorum numerus ducat, quam necesse est, nec plura quam quatuor aut sex comitentur; libitinarii reliquusque comitatus funeris, hoc peracto, (familia excepta) non ad domum funestam redibunt; quin nullas epulas funerales (*Uitigsten*) celebrabuntur; verum obstetrices, medici aut chirurgi nec vicini dicti auxilium imploratum recusabunt; praeterea mobilia ex locis infectis pignori dari vetitum; hominibus egenis, etsi non inter pauperes adnumeratis, Diaconi etiam auxilium medicum et medicamenta impertiebunt; nautae in coloniis morbo contracto itinere impediti, ibi tamdiu morabuntur, donec in sanitatem sint restituti; nul-

la remedia contra Dysenteriam in Diario Groningano, inscio Magistratu, publicentur, ne incolae exponantur sequelis medicamentorum inutilium aut noxiorum; contra omnino sit commendatum, medicorum peritorum uti consilio et praeceptis sequentibus: Cum in Medicina nulla specifica cognita sint, quibus ille morbus avertatur vel obortus sanetur, quisque ne fallatur, caveat agyrtas aliosque remedia secreta pretio insigni ventilantes; spirituosa nequaquam etiam pro talibus remediis prophylacticis habeantur, inter quae vero haec inprimis efficacia sunt, ut nimirum evitetur omne commercium cum hominibus infectis et rebus contagium facile suscipientibus, uti sunt materiae laneae, vellera, stragula et vestimenta ex aedibus infectis; tranquillitas animi conservetur, vires digestrices sustententur, diaeta observetur, ceterum vitae regimen non mutetur; caveat valde quisque, ne refrigerationem suscipiat, inprimis corpore calefacto; munditiam corporis, vestium et aedium curare utilissimum; sedes tardas provocare convenit foliis sennae, rheo aut cremore tartari; praesertim illi, qui aegrotos curare et tractare debent, sibi omnino dictis caute observatis consulant; cum contagium maxime exhalatione excrementorum aegrotantium, sanorum salivam afficiente, communicetur, ideo in cubiculo

tali salivam non deglutiant et potius in alio cibum et potum sumant, ore antea bene diluto; non jejune mane ad aegrotos accedant et faciem et manus saepius lavent; quos autem diu aegrotos visitare oportet, salivae affluxu, ope herbae Nicotianae, frustuli myrrhae, corticis aurantiorum aut radicis angelicae, augendo et saliva secreta iterato exspuenda os purum servare utile est; porro qui aegrotos curant, caveant necesse est, ut horum excrementa in vasis bene tectis foris exportentur, nec in latrinas solitas ferantur, sed humentur; aër semper purus servetur in cubiculo et renovetur igne modico, per diem fenestra aperta servetur, nocte janua; aër valde foetens et corruptus pulvere pyrio accenso aut aceti fervidi vapore depuretur; quisque aeger, quantum possit, suum habeat cubiculum, dum pars familiae sana etiam in cubiculo separato coenare et dormire debeat; lectis non decumbat nec stragulis aut vestibus se tegat, quibus aegroti usi sunt, nisi rite sint lavata et depurata; tandem tales non alias aedes, eoque minus sacras frequentari decet, priusquam per aërem aliquamdiu deambulaverint et vestes mutaverint. — Sin vero, non obstantibus hisce cautelis, quis Dysenteria corripiatur, nec medici auxilium statim invocare possit, ilico rhei dosin sumat et dein quantocius auxilium medicum imploret; qui revera jam

laborant, verum nondum decumbunt, omni commercio cum sanis se abstinere debent et inprimis non eodem loco ac sani alvum evacuare; aegroti in morbi initio non utantur fructibus mespili, *Prunus spinosae* (*Sleedoorn*), aliisve remediis adstringentibus, sed optime sibi consulent, si peritis confidant medicis; sanati priusquam aliorum aedes et sacras adeant, omnia vestimenta, quibus durante morbo induti fuerint, deponant aut duntaxat bene depurent; stramen lectorum, quibus aegroti decubuerint, humandum aut in acervulos divisum domi comburendum est; stragula linea prius in aqua alcalina immergi et aqua caute effundi debet, quam ulterius laventur; cubiculum omni modo igne, pulvere pyrio deflagrato etc. bene depuretur et perluatur (78).

Hoc decretum rursus est abrogatum, morbo prorsus cessante, anno 1780 (79); attamen Senatus anno 1783 cautum habuit nemini permittere nundinas frequentari in urbe, nisi testimonio probato instructo, se e locis venire, ubi Dysenteria non grassabatur (80).

---

(78) *S. D. P.* 14 Dec. 1779. Vid. Cap. V.

(79) *S. D. P.* 18 Febr. 1780.

(80) *S. D.* 15 Sept. 1783. — Contra morbum epidemicum sed non contagiosum (erat scilicet indolis Febris intermittentis) eodem anno 1779—1781 in urbe grassatum, nulla, uti videtur, ejusmodi publica habita est cautio.

Cum fama esset anno 1805, Judaeos *Amstelodami* societatem iniisse, eo scopo, ut in locis, quae Febre flava essent affecta, vestimenta aliasque res emerent et in aliis locis venderent, ad sequelas funestas talis mercaturae praeveniendas Senatus Groninganus interdixit invectionem talium rerum in hanc urbem sub poenis severis (81). De rumoris illius vero falsitate convictus mox decretum abrogavit (82). Anno tamen 1811 liberum navium ex *Hispaniae* locis infectis profectarum aditum in urbem restrinxit (83).

De variis utilitalibus, quas epidemia anni 1826 tulit, jam (Cap. I) locutus sum. Inter consilia salutaria, quibus praeterea ansam dedit, sequentia adhuc notanda sunt. Magistratus tunc ordinavit (aeque ac olim in peste), defunctos durante epidemia tertio die post mortem sepeliri (84), et aedes funestas statim post sepulturam aperiri (85); aquae ductus, cloacas etc. purgari iterato jussit anno 1827 (86), dum Chloruretorum praeparationem

(81) *S. D. P.* 11 Mart. 1805.

(82) *S. D. P.* 1 Apr. 1805.

(83) *S. D.* 14 Oct. 1811.

(84) *S. D. P.* 7 Sept. 1826.

(85) *S. D. P.* 16 Oct. 1826.

(86) *S. D. P.* 15 Mart., 21 Jun. 1827.

et distributionem largam ad aëris depurationem, sumtibus publicis, Collegio medico urbano mandavit (87). Ceterum cum morbus, ad Febrem intermittentem pertinens, non pro contagioso sit habitus, aeque minus ac in simili epidemia anni 1779—1781 singularis cura prophylactica adhibita est; dum quae attinent ad Nosocomium exstructum et auxilium medicum aliunde invitatum etc., haec magis ad curam therapeuticam pertinent.

De Cholera Asiatica, anno 1832 et seq. urbi Groningae etiam funesta, pauca hic solum dicenda sunt, cum cura prophylactica, contra hunc morbum adeo frustra adhibita, magis generalis fuerit et totum regnum aut nostram regionem spectaverit. Inter praecepta diaetetica, quae Ministerium supremum cum populo communicare utile duxit, illud hic etiam promulgatum est, quod continet monita contra usum fructuum immaturorum (88) et abusum potuum spirituosorum (89), quippe quae disponerent ad Choleram; simul in ultimo decreto jussum est, bis per-

---

(87) *Verslag van de in het jaar* 1826 *te Gron. waarg. ziekten enz. De Chlorine-Verbindingen enz. door* S. STRATING Ez. Gron. 1827. *Voorrede.*

(88) *S. D. P.* 28 Maj. 1832.

(89) *S. D. P.* 2 Jul. 1832.

hebdomadem aquaeductus, cloacas, plateas etc. purgare.

Inter praesidia sanitatis maxime salutaria, contra morbos unquam instituta, primo loco nominanda sine dubio est Inoculatio Variolarum et jam usitatior illa Variolarum Vaccinarum, ad morbum illum gravissimum mitigandum, nisi prorsus prohibendum. Utraque etiam Magistratui Civitatis Groninganae curae cordique fuit. Ita anno 1801 cum Collegio tunc hanc Provinciam gubernante (*Departementaal Bestuur*) communicavit aptas rationes, quibus inoculatio variolarum promoveri et contagionis dispersus inde metuendus praeveniri posset (90). Anno 1809 medicos admonuit, quantocius variolae in urbe erumperent, illud cum civium Magistro communicare et tabulas trimestres infantum vaccina insitorum tradere (91). Variolis in urbe dein obortis, decreto publicato in memoriam revocavit praecepta, quae ad praecavendam propagationem hujus morbi erant ab Auctoritate suprema praescripta (92), et inprimis porro scholarum magistros adhortatus

(90) *S. D.* 23 Apr. 1801.

(91) *S. D. P.* 6 Febr. 1809.

(92) *S. D. P.* 21 Febr. 1809.

est, ne scholas frequentarentur tales, qui variolas nondum perpessi essent (93). Ita repetita vice medicos admonuit tabulis trimestribus vaccinatorum rationem reddere (94); vicorum Magistros (*Wijkmeesters*) se certiores reddere de numero infantum nondum insitorum (95); tandemque anno 1826 medicum nominavit, qui Insitoris munere fungitur (96). Leges de variolis aliisque morbis contagiosis arcendis nunc vigent, quae, secundum decretum Regium (18 Apr. 1818), anno 1819 proclamatae et in Decreto politico anni 1822 confirmatae sunt (97). Hisce statutum est: Nemo pauperum publicis sumtibus sustentabitur nullusque infans in scholis urbis pauperibus destinatis admittetur, nisi testimonio instructus Medici, se contra variolas, sive variolas ipsas perpessi, sive vaccinis insiti sint, reservatos esse. Si morbus contagiosus in quadam domo se palam faciat, liberi hujus domus in nullam scholam qua-

---

(93) *S. D.* 12 Jun. 1809.

(94) *S. D.* 12 Febr. 1810. Hodie ne illud amplius frustra rogetur, tabulae illae trimestres medicis hunc in finem mittuntur et repetuntur.

(95) *S. D. P.* 9 Jan. 1826, 3 Aug. 1829, 23 Jun. 1831, 22 Nov. 1834, 5 Sept. 1836.

(96) *S. D. P.* 12 Jan. 1826, 26 Jul. 1830.

(97) *S. D. P.* 21 Nov. 1819, *Reglement van Politie*, Art. 319—327.

lemcumque, nec loca, ubi ars aut opificium quoddam discitur, mittere licet, durante contagione. Variolis in aliqua domo erumpentibus, protinus paterfamilias id cum Praeside Collegii medici, quod in civitate rei medicae curam gerit, communicabit, ut caveatur, ne contagione dispergantur. Aedium, ubi variolae adsunt, foris inscribi debet vocabulum *Kinderziekte*, ut quisque has intrare evitet. Medici et Chirurgi illud curabunt; si negligatur, id statim Praesidi Consulum nunciabunt; illorum porro officium est, omni die veneris Collegio medico notam exhibendi aegrotorum, quos, hebdomade praeterlapsa, varolis laborantes curaverunt. Fumigationes cum manganesio, sale culinari et acido sulphurico (nunc potius usurpantur chlorureta) ad depurandum aërem infectum nunquam omittantur; apud egenos illud publicis sumtibus fieri potest. Variolis aliove morbo contagioso defunctus, si Medicus id necessarium judicet, quantocius, saltem intra tres dies, cum vestibus, quibus indutus mortem subiit, sepeliundus est.

Omnino laudanda est prudentia in hisce praeceptis conspicua ad hujus atrocissimi morbi originem et propagationem, quantum possit, impediendam, ita ut, istis omnibus rite ubique observatis, spem fovere liceat, quin hoc generis humani malum, quod

illud aevis praecedentibus tantopere excruciavit, ex *Europae* majore parte tandem arcere valeamus. Novas etiam difficultates, quas morbi varioloidei apparitio non infrequens contra variolarum vaccinarum virtutem prophylacticam praebuit, insitio accuratior et simul repetita verosimiliter amovebit, cui igitur favere sapientis utique foret Magistratus (98). — Animadverti tamen forte posset, fere unice hujus morbi rationem habitam et tam parum hic et alibi contra alios morbos statutum esse, non minus contagiosos et frequentes, puta exanthemata reliqua acuta, Scarlatinam et Morbillos, nec non Typhum. Adest nunc quidem Nosocomium urbanum ad pauperes hujuscemodi morbis laborantes inprimis recipiendos et ita separandos accommodatum, sed non multum illud juvat, cum aegri, ipsis aut affinibus invitis, huc transmitti nequeant. Adest quidem Collegium medicum in urbe, praesertim epidemiarum avertendarum curam gerente, sed vulgo morbos dictos non curat, forsan persuasum prophylaxin hac in re adhibendam non fore satis efficacem, aut talem non posse institui. — Etsi sane fatendum sit, horum morborum originem, quatenus non solum ex contagione, sed etiam sponte ex miasmate aliave causa

---

(98) *Dissert. Medica Inaugur., de vaccinae virtute prophylactica iterata insitione confirmanda*, AUCT. J. L. TAPPER, Gron. 1837.

epidemica generali latente producantur, non impediri posse, quaeritur tamen, num illud de horum propagatione per contagionem multis in casibus veluti sporadicis fieri et sic epidemiae eruptio prohiberi posset? Ita manifesta fuit in hisce locis epidemiae morbillosae recentissimae anni 1837—1838 origo et propagatio per contagionem. Vir enim *Sylvae Ducis* morbillis infectus et inde profectus primum hosce in regionis Groninganae pagum *Scharmer* transtulit et cum incolis communicavit, unde lente dein per totam regionem proserpsit et tandem etiam urbem invasit. Nec desunt pristinarum epidemiarum morbillosarum exempla, in quibus simili se disperserunt modo. Nonne probabile esset, ulteriorem morbillorum progressum arceri potuisse, si vir ille aliique ab eo infecti quamprimum separati fuissent? Obstat revera contagii morbillosi subtilitas, major quam variolosi et scarlatinosi, ideo facilius coërcendi, dum typhosum etiam quidem facile diffunditur, sed tunc simul multum debilitatur. Perquam sane molesta forent necessaria locorum et hominum infectorum a sanis separatio perfecta aliaeqne cautelae a Magistratu exacte tuendae; — non est, quod dijudicem, quatenus haec conamina salutaria, salva civium libertate, perfici possint; — haec vero obstacula tot tantaque esse, ut de illorum successu desperandum sit, dubitari

forte licet, num experientia satis docuerit, quemadmodum id de Cholera probaverit, admodum vero a dictis morbis diversa. Quamdiu itaque idem de hisce constet, humanitas flagitat omnem curam, ut praeveniantur; quod primum officium in omni morbo eoque magis in talibus est, qui quidem curari non vero sanari possunt.

Licet adhuc dubia moveri possint de morborum epidemicorum praeveniendorum probabilitate, minime tamen obstant, quominus duntaxat tales morbos arcere omni vi conamur, qui mere ex contagione oriuntur et communicantur, videlicet labes Syphilitica. Uberrima hujus mali fons latet, uti notissimum, apud meretrices, quae publice in lupanaribus clamque suam castitatem prostituentes et simul luem veneream communicantes non solum semetipsae sed et alios cives perdunt. Leges severae, quae pristinis aevis contra lupanaria et meretrices aut quamcunque prostitutionem — nec certe solum ad morum pravorum, sed etiam ad morbi syphilitici dispersum inhibendum — extiterunt (99), jam dudum abrogatae sunt, et meretrices et lenones hodie libere suo funguntur munere obscoeno, suis fruuntur juribus, et solum

(99) *S. D. P.* 11 Aug. 1652 (ubi citantur *S. D. P.* annorum 1596, 1601 et 1608 non inventa) 19 Febr. 1669, 15 Apr. 1718, 4 Jul. 1725.

regimine politico refrenantur, ne societatis quies et mores publice attententur. Nam quae viguit ante aliquot annos cura meretricum medica nunc etiam abolevit. Repeti ergo omnino debent, quae antea jam de hac re tam enixe monuit Cl. VAN DOEVEREN (100): »Vigeat," inquit, »precor inprimis Procerum cura, in limitando syphilidis morbi progressu, ejusque causis exstirpandis: vix dici, vix credi potest, quanta mala latius serpens et intimas medullas penetrans, istius virus ad corpora corrumpenda adfert; quantum ad progeniem vitiosiorem cives vestros, immo et liberos disponat; quanto furore in ipsos saeviat tenellos parentum labe infectos, aut cum matris vel nutricis lacte luem contrahentes! Grave malum difficilem (fateor) admittit curam; malum insanabile esse, haud pauci perhibebunt: ast, quidnam quoque in hoc sana Politica praestare posset, haud difficile foret exponere etc." Multi viri in arte eximii animum et operam verterunt ad damnum, quod inde sanitati publicae infertur, nisi auferendum, saltem mitigandum. Hocce consilium praesertim occupavit et hisce diebus magis quam unquam occupat medicos et politicos urbis *Parisiorum*, tantopere et in hac re famo-

(100) *Sermo Acad.* etc. p. 57, transl. bl. 63.

sae (101). Malum non esse amovendum opinantur removendis ipsis lupanaribus, quibus civitates carere non possunt, ne majus malum inde in populi mores redundaret, sed curam medicam magis accuratam et facilem esse reddendam perhibent nosocomiis aptis exstruendis, ubi non solum meretrices publicae visitari et, si lue venerea laborant, retineri et cura submitti deberent, sed quo etiam clandestinae hoc in casu sponte venirent, ut sanarentur. — Omnino ni fallor, votis etiam satisfaceret hujusmodi nosocomii in hac urbe restauratio.

Ad morbos auctoritate publica omnino avertendos pertinet etiam Rabies canina adeo terribilis. Si lustremus decreta publica urbis, haec seriem offerunt insignem talium, quibus jussum, ob rabiem caninam obortam canes domi retineri et alligari (102). To-

---

(101) Conf. opus egregium: *De la Prostitution dans la ville de Paris*, etc. *par* A. J. B. PARENT-DUCHATELET, Paris et Brux. 1837. *Annales d'Hygiène publique* etc. 1838.

(102) *S. D. P.* 4 Jan. 1629, 3 Maj. 1725, 28 Mart. 1740, 23 Jul. 1750, 20 Febr. 1751, 6 Jul. 1752, 29 Jul. 1763, 4 Maj. 1765, 15 Apr., 24 Maj., 12 Dec. 1781, 1 Maj. 1784, 13 Jan. 1785 (quod decretum simul continet praecepta et remedia, quibus utendum, si homines aut animalia a canibus rabidis mordantur), 3 Oct. 1785, 22 Jun. 1686, 5 Aug. 1693, 7 Apr. 1794, 14 Jun., 4 Sept. 1796, 11 Aug. 1800, 19 Jul. 1803, 30 Aug. et 5 Dec. 1805, 31 Maj. et 13 Aug. 1806, 15 Aug. 1808, 8 Jul. 1809, 6 Aug. 1813, 28 Mart. 1814, 12 Jun. 1814, 20 Maj., 15 Jun., 2 Oct. 1815, 20 Maj. 1816, 18 Jul. 1817, 26 Jul. et 26 Dec. 1821, 17 Jun., 22 Aug. et 24 Sept. 1822, 20 Febr. 1823.

ties repetita haec publicatio demonstrat, quam frequens talis morbus canes et quidem omni anni tempore afficeret. Notandum vero, post annum 1823 nondum iteratum esse decretum, ita ut tam diu morbus hic non occurrisse videatur (103). Nullo tamen modo hodie contra illum praecautum est, uti antea. Anno scilicet 1806 (104) tributum canibus impositum est (duorum florenorum cuique cani quotannis solvendorum) et anno 1811 adhuc solutum, dein autem, multis id aegre ferentibus, aboletum est. In nonnullis hujus Provinciae et aliis Regni locis adhuc solvitur, nec desunt, qui illius tributi restaurationem in hac urbe, ad inutilem, imo nocivum canum vagantium numerum diminuendum, optant.

Inter decreta ob hunc illumve morbum lata adhuc referri potest illud anni 1713, quo prunorum invectio et venditio prohibita fuit, propter febrem forsan autumnalem, solito gravius grassantem, qualem certiores sumus ansam dedisse simili decreto anni 1719 (105). Jam reperimus pruna inter fru-

---

(103) Dum haec typis mandentnr, suspicio mota est, rursus morbum inter canes in urbe suscitatam esse, ita ut Magistratus solitum decretum de hisce alligandis publicare necesse judicaverit. *S. D. P.* 5 Nov. 1838.

(104) *S. D. P.* 23 Dec. 1806, 10 Jul. 1807.

(105) *S. D. P.* 4 Sept. 1713. *S. D. P.* 25 Aug. 1719.

ctus vetitos durante peste et cognitum est, quam nocivus illorum abusui vulgo et hodie tribuitur effectus in febribus autumnalibus excitandis. — Denique hic addendum est praeceptum a Magistratu anno 1808 ordinatum, quo modo illi, qui sub dio in aestate laborent, cavere deberent durante solis ardore illius radios urentes, ne inde sequelas funestas et morbos graves sibi contraherent (106).

---

(106) *S. D.* 5 Sept. 1808.

# CAPUT IV.

## DE CIVIBUS TUENDIS CONTRA LAESIONES EXTERNAS.

---

Superest, ut nunc loquar de cura Magistratus Groningani ad cives tuendos contra laesiones varias externas, quae fortuito, infortunio, petulantia, imprudentia aut negligentia a rebus circumdantibus et homine ipso in societate frequenti, qualem civitates praebent, toties hominem offendere possint. Huc pertinent itaque omnia, quibus praepediatur, ne ex hujusmodi causis tuta et secura civium vita, imprimis in viis publicis, periclitetur. Vel primum hunc in finem in censum venit urbis illustratio publica. De hac animadvertendum est, urbem diu tali caruisse, uti patet ex placito anni 1665, quo nemini concessum, tempore nocturno obscuro vias frequentari, nisi urgente necessitate,

et praeditus sit face, laterna aliove instrumento lucente (107). Tandem anno 1680 decrevit Magistratus juxta exemplum urbium illustrium in civium gratiam per totam urbem laternas ponere (108), quarum numerus sensim, uti anno 1682 jam a 200 ad 300 est auctus (109). Licet sumtibus insignibus exstructae essent laternae, quarum nempe fulcra e lapide integro caesa non parum etiam civitatem adornabant, tamen clarior culturae lux, quae interea hoc aevo affulsit, novum clarioremque etiam illustrandi modum postulavit. Ante aliquot ergo annos itidem ad exemplum aliarum civitatum insigniter urbis illustrandi ratio, tam quod ad laternarum structuram, quam numerum attinet, est emendata, ita ut hodie melius scopo satisfaciat.

Ut praeterea cives salvi manerent Magistratus a veteri ad nostrum tempus variis utilibus decretis praecavere non desiit. Haec breviter indicabo secundum decretum politicum; quod antiquitas vero notatu dignum praebet, non omittam. Ita in hoc Decreto statutum: Nulla lintea, stragula aliasve res suspendi septis pontium sive aliis aedificiis pu-

---

(107) *S. D.* 26 Oct. 1665, renov. 24 Jul. 1727.

(108) *S. D.* 12 Sept. 1680.

(109) *S. D.* 9 Mart. 1682.

blicis, aut funibus arboribus connexis, quae ad viam publicam plantatae sunt; nullos volucres seu dictos *dracones* (*vliegers* of *draken*) per vias emitti (110); praeterea antea quicunque ludi cum pilis, fundis, arcubus etc. viatoribus periculosi erant vetiti (111), nec licebat vesperi et nocte clamorem, clangorem aliumve rumorem edere (112); tabernacula auctionum publicarum nocte illustrari (113); in viis publicis non ligna, lapides, fimum aliasve res exponi, sed statim auferri, exceptis ruderibus ex aedificandis aedibus ortis, quae per diem restare possunt, ita tamen, ut viam non impediant et ante solis occasum deferantur (114); nulla vasa aliaque utensilia prope aedes, nec vehiculum quoddam, nisi locis licitis nocte in via publica relinqui (115); non sclopeta taliave instrumenta explodi in plateis et pone aedes (116); nec pyrophora ex pulvere pyrio aliisve materiis combustilibus parata (*zwervers* hic vulgo dicta etc. et adeo ab antiquo usitatissima Groninganis

(110) *Reglement van Politie*, Art. 144 et Art. 145.

(111) *S. D. P.* 25 Jan. 1675, 5 Sept. 1685, 1 Jun. et 5 Sept. 1796.

(112) *S. D. P.* 10 Febr. 1640.

(113) *Reglement van Politie*, Art. 147.

(114) *S. D. P.* 22 Jan. 1631, *Reglement van Politie*, Art. 148.

(115) *Reglement van Politle*, Art. 149 et 150.

(116) *S. D. P.* 10 Jan. 1787, 29 Mart. 1814, *Reglement van Politie*, Art. 151.

laetitiae signa) deflagrari et ejaculari, nisi statutis diebus festis, statutoque tempore et loco, nempe foro majore (117); canes fortes (exceptis venaticis) non nisi ore ita vinculo cohibito, ut neminem laedere possint, haberi (118); non ex aedibus aliquid in plateas dejici, nisi viatoribus praemonitis (119); nivem ex areis aedium translatum in plateas aequari, ne obstruantur (120); in viis publicis non pilas e nive confectas, lapides etc. jactari (121); durante hyeme fossas urbis glacie pervias non cum equis nec trahis aliave vectura frequentari (122); nec per illas aliosque canales urbis calceis ferreis (*schaartzen*) plures conjunctim vehi, sed continue unus post alterum et ita, ne alii laedantur (123). — Quamvis sequentibus intersint praesertim edita, ne publicis urbis operibus damnum inferatur, tamen una id

---

(117) *S. D. P.* 10 Nov. 1624 iterata vice et quotannis fere adhuc repetitum secundum *Reglement van Politie*, Art. 151 et 152.

(118) *S. D. P.* 1 Sept. 1684, inprimis 8 Aug. 1700, 22 Jan. 1703, 4 Jul. 1705, 4 Febr. 1712, 29 Apr. 1782, *Reglement van Politie*, Art. 153.

(119) *Reglement van Politie*, Art. 156.

(120) *Reglement van Politie*, Art. 155.

(121) De pilis niveis id jam vetitum *S. D. P.* 16 Febr. 1625, 17 Febr. et 13 Dec. 1630, 17 et 22 Dec. 1684. *Reglement van Politie*, Art. 156.

(122) *Reglement van Politie*, Art. 157.

(123) *Reglement van Politie*, Art. 158.

etiam de civibus praecavent et ideo hic afferri merentur. Ita vetitum, cum equis aut curribus per tramites arbusti *Sterrebosch* extra Portam *Exercitus* aliasve ad ambulandum servientes vehi, aut currus ibi deseri (124); per pontes (125) et plateas urbis (126) rapido cursu vectari, porroque praescriptus modus, quo aurigae sibi obviam euntes cedere (127) et ad aedes sacras, spectaculum similiaque loca publica vehi, ibi morari et revehi debent (128); praeterea vehiculum equo vel equis tractum in via deseri nec ita poni, ut transitus impediatur, licitum est (129); aurigis interdictum uti equis effrenatis, nisi dimittantur, urbis insignibus ope ferri candentis notandis (130). Huc quoque referri possunt, quibus pro-

---

(124) *Reglement van Politie*, Art. 177 et 178. *S. D. P.* 7 Maji 1805, quo simul vetitum ibi collineari cum sclopetis (*witschieten*).

(125) *S. D. P.* 13 Jan. 1780 et praeter decret. jam allatum 7 Maj. 1805, 30 Mart. 1818, *Reglement van Politie*, Art. 180.

(126) Hoc olim de omni valebat curru, uti patet ex *S. D. P.* 2 Sept. 1639, 17 Jan. et 22 Dec. 1684, dum hodie non nisi vehicula oneribus deferendis inservientia spectare videtur. *Reglement van Politie*, Art. 181.

(127) *Reglement van Politie*, Art. 179.

(128) *S. D. P.* 12 Nov. 1684, 13 Jan. 1780, 10 Febr. 1817, 30 Mart. 1818. *Reglement van Politie*, Art. 182—186.

(129) *Reglement van Politie*, Art. 187 et 188,

(130) *Reglement van Politie*, Art. 189 et 190, mutati *S. D. P.* 10 Jul. 1826.

